

Primum autem dicit ab Apostolo idem reprehendi, non quia mulier crabat in ecclesiis, poterat enim ibidem in silentio orare, sicut in silentio jubetur discere, *ad Tim. 2.* sed quod id faceret non velato capite. Secundum vero reprehensionem merebatur ex duplo capite: primum, quia mulier prophetabat in ecclesiis; secundo, quia id faciebat capite non velato.

Mulier autem non velato capite orans in ecclesiis, aut prophetans in eisdem fideliis, dicitur deturpare caput suum, quia facit contra naturalem honestatem et verecundiam illi a Deo inditam. Iuhonestum enim, tarpe ad prius indecens est, ut eo praesertim tempore abiciat velum capitum, quod decens ac commodeum est conditioni femininarum ad confundendam naturalem suam subjectionem, quam habent ad virum. Mulieri enim maximo est honor possumus sibi ordinem servare quemadmodum ignominia est ab eo deflectere, inquit S. Chrysostomus. Unum enim est, addit Apostolus, ac si decalvatur. Gracchē, radatur, hoc est, adeo turpe est feminam orantem in ecclesiis aut prophetantem carere velut capito, ac si carcer eius naturali, et rasa esset usque ad cutem instar decalvatur.

Vers. 10: *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos*, hoc est, mulier debet supra caput habere velut quod sit signum potestatis quam vir habet in ipsam. Volum enim virum potestas per metonymiam quā signo tribuitur nomen rei signata. Debet autem virgines incipere ut illa potestate, seu velo, circa illum annum statu signe quoincipit placere viris, et ad nuptias esse matura, ut docet Tertullianus, lib. de veland. Virg., cap. 11: *Propter angelos*, id est, ne displicent angelis orationes earum deferentibus ad Deum. Unde sensus totius constructionis est hic: Non tantum propter homines, sed et propter reverentiam angelis debet mulier gestet in capite velamen, pudoris ac subjectionis signum. Sunt enim angeli ubique nobis presentes, maxima ubi cœtus fidelium habent vel sub mysteria celebrantur. Quocirca ea corona reverentiam oportet tam mulieres quam viros toto corporis habitu decenter et honestè compositos esse, ut dicere possint cum Davide: *In conspectu angelorum psalmam tibi, Psal. 157. Gratias enim sanctis angelis sacra et pia significatio*, *ad S. P. Aug.*, lib. 12 de Trinit., cap. 7; ubi docet vel mulieris non tantum significare potestatem viri supra ipsam, sed refrenationem et cautelam quam pars inferior anima adhibere debet in suis actionibus, quando ad res temporales se extendit. Cum autem suprema anima pars se extendit in res aeternas, quoniam tanquam magis formatur ad imaginem Dei; propterea non est cohibenda ut se inde contineat, et idem vir non debet velare caput, inquit ibidem. Per virum enim supremam illam animam partem, per mulierem partem inferiorem in eodem homine mysticè intelligi.

Vers. 18: *Autio scissuras esse inter vos*; Gracchē schismata, id est, dissidia animorum, seu dissensiones. Quoniam ex fuerint non expressi Apostolus, sed ex sequentibus intelligi potest, vel de loco recombinandi, vel de tempore corona inchoanda, vel de cibis ac po-

tibus aliisque ejusmodi disceptum illuc fuisse maximam inter divites et pauperes, quorum hi ab illis continebantur. *Et ex parte; Gracchē, partem aliquam;* nempe eorum que mihi de vobis narrata sunt, credo, considerans mores quorundam vestrum.

Vers. 19: *Nam oportet, id est, moraliter necesse est, considerata quorundam superbici vel pertinaciā, et hereses esse, hoc est, non tantum dissensiones, sed etiam nasci hereses, que deteriores sunt quā schismata, quia non tantum charitatem et pacem christianam perturbant, sed ipsam fidem Christi à fundamentis evulent. Ut et qui prolati sunt, manifesti fiant in robis*, id est, ut illi qui probae et spectatae sunt fidei, manifestent seipso conservando in se, et defendendo in alia fidem. *E Multa quippe ad fidem catholicam pertinuerunt, dum haereticorum calida inquietudine agitantur, ut adversus eos defensio possint, et considerantur diligenter, et intelligenter clariss, et instantiae predicatorum*, ut S. Aug., lib. 16 de Civ. Dei, cap. 2.

Vers. 20: *Conscientibus vobis in unum, scilicet in unum cœtum fidelium, ad sumendum Eucharistiam, et simul ad celebrandum convivium, jam non est dominicanum cœnam manducare*. Per cœnam dominicam hic videtur intelligendum convivium aliquod commune, quod certis seu statutis diebus, et praesertim in anniversario die cœnae Domini, premittatur oblationi et participationi Eucharistie. Hoc autem convivium erat representatio, seu commemoratione cœnae Domini cum apostolis celebrata. Unde, ut insignior esset commemoratio, celebratum fuit eodem ordine quo Christus suam cœnam cum apostolis manducavat. Constat autem ex evangelio Christum prius cœnasse cum discipulis, ac deinde corporis et sanguinis sui sacramentum tradidisse; ergo et Corinthividetur prius aliquod convivium commune habuisse, et deinde Eucharistiam sumposse. Unde sensus verborum Apostoli est: Quando in die cœnae Domini convenitis ad recolandam memoriam iustus cœnae, non facitis sicut Christus Domini fecit; nam hic manducans cum discipulis suis, neminem apostolorum exclusit, sed omnes ultimæ cœnae participes fecit; ac proinde, dum vos pauperes vestri à cœna excluditis, Christum nequām imitamini, sed longè ab exemplo quod omnibus fidelibus dedit receditis.

Ex hoc Pauli loco sectarii Eucharistie sue, nomen cœnae indiferunt, sed male. Siquidem quod versus praecitato Apostolus non agat de sumptione Sacramenti Eucharistie, inde manifestum est quod nullo modo credibile sit in ista sumptione ea contingere quae hic commemorantur, videlicet ut quisque suam cœnam, id est, Eucharistiam, præoccuparet, et alias quidem esurire, alias autem ebrios esset. Neque enim mens eucharistica ad hoc proponitur, aut aliquando proposita fuit, ut venter saturaretur, sed tantum ut mensa reficeretur; quandorūdem à ministris Ecclesie, quorum officium erat distribuire fidelibus Sacramentum Eucharistie, non pleni calices sœpius epotandi, sed

certa et determinata portio sacri liquoris, seu sanguinis Domini, semel singulis sumenda datur.

Ceterum mos ille sumendum Eucharistiam post communionem communem, postmodum justa ratione mutatus est, ab ipsis vero simillimè apostolis; ut docet S. P. Aug., epist. 118 ad Januarium, cap. 6, dicens: « *Hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tantum Sacramenti, in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quām ceteri cibi*. Nam idem per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, proprie pransi aut coenati cibos ad illud Sacramentum accipiendo convenire debent. Namque Salvator, quō vehementius commendaret mysteria illis attitudinem, ultimum hoc voluit alius infigere cordibus et memoriae discipulorum, à quibus ad passionem digressorum erat. Et idem non praecepit quo deinceps ordine summetur, ut apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. »

Tribus sequentibus capitibus agit Apostolus de gratiis, tum gratiis, tum gratum facilius. Sed cum in istis non occurrant quæstiones scripturisticae, idem illa transiit.

CAPUT XV.

Fidem resurrectionis mortuorum astruit contra pseudocœdoctores eam negantes; illamque probat ex eo quod Christus resurrexit. Deinde resurrectionis ordinem, modum et formam describit.

QUESTIO PRIMA.

An hoc capite, praesertim v. 21 et 22, Apostolus agat de resurrectione omnium prius hominum.

Resp. negativè, sed agit duntaxat de resurrectione electorum.

Prob. 1^o, quia agit de resurrectione eorum quorum primitia, vel, ut loquitur ad Coloss. 1, v. 18, primogenitus, est Christus; atque hic non est primogenitus nisi respectu fratrum ex eodem patre ad adoptionem genitorum quos Deus predestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, ut dicitur ad Rom. 8. Ergo tantum agit de resurrectione electorum.

Prob. 2^o: Apostolus probans resurrectionem mortuorum ex resurrectione Christi, v. 12 et 13, item v. 23, argumentum desumit à causa exemplari, seu à conformitate capitis et membrorum ejusdem corporis; ita ut sensus argumenti eius sit hic: *Sicut non solum caput physicum Christi, sed etiam manus et pedes gloriosi resurrexerunt, ita etiam membra corporis ejus mystici debent suo capiti conformari, ac consequenter resurgere; atqui ex resurrectione capitis Christi non recte ducitur argumentum ad resurrectionem omnium prius hominum*, sed eorum tantum qui membra sunt sub illo capite; soli autem electi in resurrectione sunt membra sub Christo tanquam capite; ergo, etc.

Prob. 3^o ex verso 25, ubi postquam dixisset quod Christus sit primus resurgentium addit: *Deinde illi qui sunt Christi; atqui reprobi non sunt Christi, sed diaboli; ergo non agit de resurrectione reproborum.*

Prob. min. ex cap. 8 Epist. ad Rom., ubi dicit: *Si quis spiritum Christi non habet hic non est eus*; adēque non depudatus in numero eorum quos hic dicit esse Christi; atqui reprobi certò non habent spiritum Christi; ergo.

Prob. 4^o, quia haec est aperta sententia S. P. Aug., epist. 89 ad Hilarium, ubi citans verba v. 21: *Per hominem resurrectionem mortuorum*, ait: « *Ulique resurrectionem dicit iustorum, ubi est vita aeterna; non et resurrectionem iniquorum, ubi mors erit eterna.* » Et iterum lib. 6 operis Imperfecti contra Julianum, num. 36, postquam probasset quod vivificatio de qua loquitur Apostolus v. 22, morti corporis, quae est pena peccati, opponatur tanquam premium, ita concludivit: « *Et idem isto loco, ubi resurrectione corporis et opponitur morti corporis, non de communis resurrectione agit Apostolus, quae ad justos et injustos pertinet; sed de illa potius, in qua erunt qui vivificabuntur in Christo, non qui damnabuntur a Christo.* »

Obij. 1^o: Christus non solum pro predestinatis, sed etiam pro reprobiis mortuus est; ergo nihil repugnat quominus etiam horum resurrectionem ex meritis Christi, tanquam communis benefactoris proveniat. — Resp: Neg. conseq.; nam reprobi meritorum Christi post hanc vitam participes fieri nequeant, utpote qui fidem sine qua Christi merita non possunt eis applicari ad ea era beneficia per ipsum consequenda vel nunquam haberent, vel si haberint, peccando ita iniurient sibi fecerunt, ut post mortem nullius Christi beneficium recipiendi amplius sint capaces.

Obij. 2^o: Ex hac sententia sequitur argumentatio nem Apostoli esse imperfectam, utpote qui debebat probare resurrectionem omnium hominum, cum ageret contra illos qui communem resurrectionem corporum negabant. — Resp.: Neg. sequelam: nam non fuit imperfecta argumentatio Christi, quia contra Sadduceos resurrectionem probavit coram tantum qui salvandi sunt cum Abraham, Isaac et Jacob, quique futuri sunt aquiles angelis Dei, Luce 20, quia horum resurrectione semel admissa, et fide recepta, non difficile est credere etiam impios ad supplicium resurrectos, ut ipsi plenam recipient suorum operum retributionem; egit autem Christus, item et Paulus hic, de resurrectione electorum, quia haec est propriè consolatio fidelium, quam tum ipse, tum Christus spectarunt.

Obij. 3^o: Verso 22 ita ratiocinatur Apostolus: *Sicut in Adam omnes moriantur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*; atqui non tantum electi, sed etiam reprobi morientur in Adam morte corporali; ergo etiam hi in Christo vivificabuntur, id est, resurgent in corpore immortali et vita spirituali. — Resp.: Neg. conseq.; ratio autem disparitatis est quod in Adamo omnes quidem omnino homines moriantur morte corporali, quia omnes ab ipso descendunt per generationem naturalem; sed non omnes in Christo vivificabuntur vita spirituali, quia non omnes per spiritualem generationem in Christo renascentur; ac proinde tantum

inferri potest: Ergo omnes qui ex Christo descendunt per spirituale regenerationem, id est, per fidem et bonam vitam, in iis vivificabuntur vita spirituali. Sensus enim Apostoli est hic: Sicut omnes qui sunt filii Adami per carnalem generationem, in ipso moriuntur morte corporali, ita omnes qui sunt filii Christi per spirituale generationem, seu per bonam vitam, in ipso vivificabuntur, id est, resuscitabuntur ad spirituelam et aeternam vitam. Hinc S. P. Aug., serm. 91, de Verbis Evangelii, num. 7, rursus ita scribit: *Quomodo in illo (Adamo): Omnis qui nascitur moritur, sic in Christo omnis qui credit vivificatur; sed si habeat vestem neptalem, si invitetur servandus, non separandus.*

Obj. 4^o: Vers. 25 subiungi Apostolus: *Unusquisque in suo ordine, subaudi vivificatur;* atque, juxta Theodoretum, hic ordo retinetur ad separationem agnorum ab hecdis, de quā Math. 25; ergo, etc. — Resp.: Salvā auctoritate Theodoreti, hoc non viderum: nam ordo de quo hic agitur est ordo dignitatis ac meritorum, ut bene exponit Tertullianus, lib. de Resurrectione carnis, cap. 48. Itaque haec verba: *Unusquisque in suo ordine, nihil aliud significant quam hoc: Quilibet electorum resurget ad maius vel minus premium, prout in hac vieti plus vel minus meritus fuit, ut satis indicatur infra, v. 41 et 42, ubi dicitur: Stella à stellā differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.*

QUESTIO II.

De Baptismo pro mortuis.

Postquam Apostolus resurrectionem mortuorum probasset ex resurrectione Christi, ulterius eam probare pergit, v. 29, huc modo: *Quid facient qui baptizant pro mortuis, si omnino mortui non resurgent?* Ut quid et baptizant pro illis? Varia, etiam apud antiquos Patres, sunt hujus textis interpretationes, ita ut difficultate definiti sit quid Apostolus intelligat per baptismum pro mortuis.

Prima interpretatio est quod Apostolus probet futuram resurrectionem ex errore quorundam qui Baptismum suscipiebant nomine aliquis amici sui, sine Baptismo defuncti, existimantes quod sicut orationes, ita et Baptismus mortuis proficeret. Ita referente Bellarmino, lib. 1, de Purgatorio, cap. 6, exponit Ambrosiaster, seu auctor Commentarii sub nomine S. Ambrosii, Anselmus et Tertullianus. Unde, licet Apostolus hunc errorum non approbet, tamen argumento ad hominem, ut vulgo dicuntur, vult contra istos errantes resurrectionem probare ex propriis eorum principiis.

Sed haec exposicio non videtur satis probabilis, quia si in tanta luce Evangelii tantus error exitisset, Apostolus hunc errorum, utpote perniciosum et superstitionis, certò confutasset, inò confutare debuisse, siquidem et alia leviora in hac Epistola corrigit, ut cap. 11, v. 4 et 5, prohibet virum orare tecum, mulierem vero detecto capite. Unde Chrysostomus hunc errorum Marcionistis, Epiphanium autem, infra citan-

dus, attribuit Cerinthianis, qui haeretici post obitum Pauli extorti sunt.

Secunda interpretatio est quod baptizari pro mortuis idem sit ac baptizari pro peccatis diuidens. At nec hoc dici potest, quia Paulus non agit de peccatis, sed de hominibus mortuis, pro quibus aliqui baptizantur, uti satis liquet ex istis verbis: *Ut quid baptizantur pro illis?* Præterea peccata non dicuntur mortua, nisi sint delecta; ergo nomina mortuorum non possunt intelligi peccata adhuc delenda.

Tertia interpretatio est quod idem dicuntur baptizari pro mortuis, quia in Symbolo quod recitant ante Baptismum, est unus articulus: *Carnis resurrecio iacet, ita ut illud: Pro mortuis,* significat sive *re-urecti-um,* id est, in eum finem ut corpora nostra mortua aliquando resurgent. Verum nec haec interpretatio subdit, primo, quia esse nimis dura et violenta, siquidem inaudiuimus est ut nomine mortuorum intelligentia spes resurrectionis; secundò, quia Apostolus non dixisset: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* sed: *Quid facimus qui baptizantur pro mortuis?* non enim aliqui, sed omnes qui baptizantur. Apostolus autem non de omnibus, sed de aliquibus tantum agit, qui pro mortuis baptizantur, ut patet tam ex textu, tam ex eo sequitur: *Ut quid nos periclitamus tota die?*

Quarta exposicio est quod baptizari pro mortuis sit baptizari Baptismo Christi, in quo per immersionem mortui, et per emersionem resurgentem representantur. Sed nec hoc admitti potest, quia in Baptismo representantur resurrectione, non carnis a morte, sed anima a peccato. Id enim Apostolus significat ad Coloss. 3, dicens: *Si conseruareas cum Christo, quae sursunt querere.*

Quinta exposicio est quod Apostolus loquatur de aliquibus qui in extremis constituti, adhuc eorum magis vivi quam mortui reputandi, baptizantur. Sed contra hanc expositionem facit quod une dicere non debuitur: *Quid baptizantur pro illis?* sed: *Quid baptizantur pro se?*

Sexta exposicio est eorum qui dicunt quod Apostolus loquatur de baptismi metaphorico, id est, de baptismi lacrymarum et penitentiae, qui suscipiunt ieiunando, orando et afflictione, patendo proximabilis in purgatorio, ut sic citius a peccatis et peccatis eorum solvantur, et haec exposicio, tanquam ceteris vero similiter.

Prob. 1^o, quia baptizari passim in Scripturam et Partibus accipiunt pro affligi, ut Marci 10: *Potestis bibere calicem quem ego bibitur, sum, et baptismum quo ego baptizar, baptizari?* Item Luca 12, v. 50: *Baptismo habeo baptizari.* Quae baptismata a Patribus passim vocantur penitentiae et afflictione baptismi. Unde S. Gregorius Nazianzen., orat. de Epiphanius alt: *Scio quartum baptismum, quod per martyrium et sanguinem sit; sic et quintum, lacrymarum et penitentiae.*

Prob. 2^o: SS. Patres, ut Hieron. in cap. 3 Matth., Basilius, lib. de Spiritu sancto, et Gregorius Nazianzen.,

loco statim citato, vocat ignem purgatorii ultimum baptismum; ergo bene dixit Apostolus eos baptizari pro mortuis, qui se jejuniis aliquis operibus penitentialibus affligentes, sumunt in se partem baptismi illius ignis quo anima baptizantur in purgatorio.

Prob. 3^o, quia haec exposicio maximè congruit cum subsequentibus Pauli verbis, v. 30: *Ut quid et nos periclitamus tota die?* Quasi dicat: Cur aliqui affligunt se jejunando aliquaque opera penitentia subiungendo pro mortuis, et ego affligo me predicando Evangelium, si mortuum non est resurrectus?

Obj. 1^o: In hoc supposito Apostolus non debuerit dicere: *Qui baptizantur,* sed: *Qui baptizantur pro illis,* nam omnes Christiani pro mortuis orabant afflictiones patiebantur, etc.—Resp.: Neg. assump., quia non argumentatur a consecratione Christianorum; nam haec sola nullum vim habuisse apud incredulos, sed a consuetudine Judeorum, qui more veteri et secundum Scripturam exempla orabant et ieiunabant pro mortuis; secundò, quia Apostolus non dixisset: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* sed: *Quid facimus qui baptizantur pro mortuis?* non enim aliqui, sed omnes qui baptizantur. Apostolus autem non de omnibus, sed de aliquibus tantum agit, non de omnibus, sed de aliquibus tantum agit, qui pro mortuis baptizantur, ut patet tam ex textu, tam ex eo sequitur: *Ut quid nos periclitamus tota die?*

Obj. 2^o: Non videtur bene prebar mortuorum resurrectio ex eo quod aliqui sustinent afflictiones pro eis, quia posset die illas sustinere, non ut mortui resurgent, sed ut animæ eorum a penitentia liberantur. — Resp.: Neg. assumpt.; nam tempore apostolorum questiones de resurrectione mortuorum, et de immortalitate animæ ita erant inter se connexæ, ut eadem haberentur: sicuti apud Judœos, qui negabant resurrectionem, et aliter, ut Saducei; et qui unum fatebantur, fatebantur et aliter, ut Pharisæi, prout patet Act. 25, v. 8; nec immerebit: cum enim anima rationalis sit forma corporis et vera pars hominis, non est vero simile Deum voluisse animam perpetuo vivere sine corpore. Hinc Christus ex immortalitate animæ probavit resurrectionem corporum, Matth. 22, v. 32, dicens: *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Imò eadē ratione resurrectionem hic probat Apostolus, v. 32, dicens: *Quid mihi prodest si mortui non resurgent?* Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Hoc autem ratione omnium, ut et argumentum Christi, non concluderet, nisi questions de immortalitate animæ et resurrectione corporum inter se fuissent connexæ.

Obj. 3^o: Illa ieiunia, orationes, afflictiones, etc., de quibus nos exponimus illud Baptisma, erant voluntarie; atque de similibus non possunt intelligi verba Apostoli; ergo, Prob. min., quia de illis qui voluntarie ieiunant, afflictiones, etc., subiungunt pro mortuis, non bene dicuntur: *Qui baptizantur,* tanquam ab aliis, sed: *Qui baptizant seipso pro mortuis;* quomodo secundum Scripturam qui voluntarie ieiunant, seipso, aut animas suas affligere dicuntur, ut Levit. 16 et 25. — Resp.: Distingu. min.; de similibus non possunt intelligi verba Apostoli, si illa ieiunia et afflictiones spectentur, prout homo ea voluntarie sibi infert, concedo; si spectentur, prout ab illis jam illatis po-

nam aliquam patiuntur, nego minorem et consequentiam: ratio est quod Apostolus hic magis consideraret illa jejuniū et afflictiones in passivo quam in activo, quia voluit illa proponere ut molestia et dilectionis homini; ac proinde hinc patet quod optimè potuerit dici: *Qui baptizantur;* unde quemadmodum pœnitentia, quae consistit in operibus penitentialibus voluntariè à peccatore susceptis, rectè vocatur laboriosus baptismus, ita et prelata jejunia, etc., rectè potuerunt dici baptismus pro mortuis.

Obj. 4^o: Tempore apostoli Pauli aliquos fuisse qui pro mortuis ipsum Sacramentum Baptismi suscepunt, doceat S. Epiphanius, hæresi 28, ubi de Cerinthio et Cerinthianis narrat sequentia: Ex traditione res e quæclarat ad nos devenerit quod quibus apud ipsos de vita decesserunt, morte praecocati circa baptismum, ali pro ipsis in nomine ipsorum baptizantur, ut ne, ubi resurrexerint illi in resurrectione, penas dent, et quod non accepterunt baptismum; et subiitiam fiant potestati, quae mundum fecit. Et hæc de causa traditio quod ad nos devenerit, euodem S. Apostolum: *Si omnibus mortui non resurgent, cur et baptizantur pro ipsis?* Ergo, juxta S. Epiphanius, Paulus agit de illis qui Baptismum suscepunt nomine aliquis amici sui defuncti sine baptismō. — Resp.: Neg. conseq., quia S. Epiphanius non dicit quod Paulus de similibus agat, sed tantum refert quod tradidit illa, que ad ipsum devenerat, etiam simul habebat quod Apostolus loquatur de illis qui pro mortuis Sacramentum Baptismi suscepunt. Verum cum tradidit illa non sit irrefragabilis auctoritas, id ex eadem nihil contra nostram expositionem concludi posse videatur.

QUESTIO III.

Quomodo iusta versum 52 Paulus pugnaverit ad bestias.

Baronius ad annum 55, Estius in hunc locum, et multi alii volunt haec verba S. Pauli, v. 52: *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mita, prodest, si mortui non resurgent?* debere accipi metaphorice, ita ut per bestias intelligentur homines bestialiter viventes, qui resistebant doctrine S. Pauli, quales erant Judei et gentiles. Origenes verbi, Theodore, Nicophorus, et variis alii volunt quod illa Paulus Ephesi fuerit objectus feris, adhuc quod illa verba sint intelligenda in sensu litterali proprio, et non in metaphoricō. Ilorum autem sententia videtur plausibilior et vero similior.

Prob. 1^o, quia verba S. Scripturæ debent propriè accipi, dum nihil obstat; atque, ut ex solutionibus argumentorum patet, hic nihil obstat quoniam non propriè accipiuntur; ergo, etc.

Prob. 2^o, qui dicit: *Secundum hominem pugnavi,* id est, realiter, non metaphorice aut spiritualiter; vel, ut exponit S. Chrysostom., hom. 40: *Quod ad homines attinet, ful ipsius spectaculo, ipsorum opinione certò occidendum, dum ful feris objectus.* Pugnare autem cum Judais disputando, ostendendo Christum esse Messiam, etc., non est pugnare secundum hominem,

sed potius secundum Deum; neque enim unquam Paulus cum Judaeis pugnavit fuisse aut pugnatis.

Prob. 3^a, quia Apostolus hoc hic refert tanquam rem memorabilem, que ipsi accidit Ephesi; atqui, si per bestias intelligeret Iudeos vel gentiles, non posset specialiter notare Ephesum; nam ubique gravissimas persecutions ab ipsis passus est; ita quidem ut coegerint ipsum relinqueret Philippos, Thessalonicanum, Beream, etc. Unde debuisset potius citare persecutionem quam passus fuit Corinthi (Act. 18), ipsis videtur; et quidem tantum ut Deus ipsi apparuerit, ipsumque confortaverit, quam illam persecutionem quam passus fuit Ephesi omnino ignotam Corinthiis; fortius enim argumentum desumitur ex facto quod omnes viderunt, quoniam ex facto quod nemo vidit; Apostolus autem hoc factum assumit ad probandum resurrectionem mortuorum; ergo probabilius videtur quod praecitata verba sint intelligenda propriè, et non metaphorice.

Obj. 1^b: In texto Graeco, loco *ad bestias pugnari*, habetur: *Cum bestiis pugnari*; ergo non dicit Paulus se bestiis objectum fuisse, sed cum bestiis pugnasse; atqui non est credibile, ne ratio dignitatis apostolica permisisset, Paulum armatum in arenam aut theatrum prodire pugnaturum cum bestiis, quod nec de alio quoquam martyre legitur; nam martyres solebantur objici, non cum illis pugnare; ergo, etc. — Resp. Paulum cum bestiis pugnasse phrasie illius temporis usitatam, quæ significat *feri objici*, sive inernem sive armatum, ut pax ex celebribus Actis S. Perpetuae, in quibus, nota 40 in Paulum, apud Tillemontum, tom. 1, parte 2, pag. 827, de se suisque sociis, ad bestias damnatis, dicit: *Munere enim castrensi eramus pugnare*. Et forte hoc iocó quia damnatis ad bestias dababant aliqua saltem arma quibus se defendenter, ut tantò productus esset ipsum cruciatus, vel ut tantò diutius sanguinolento populo essent crudeli spectaculo. Denique omnibus istis etiam suppositis, non fuisse Apostolo magis indignum armis contra bestias se defendere, quoniam fuit illo indignum militibus Romanis se defendere contra Iudeos, Act. 25.

Obj. 2^c: Damnari ad bestias supplicium erat tantum viuimus personarum, ut constat ex 1. 48, tit. 8, lego 3, ff. Ad legem Corneliam, de Sicariis. Quarum Paulus, qui civis Romanus erat, illo supplicio damnari non potuit, nisi hanc suam prerogativam tacuerit; quod de eo non est opinandum, utpote qui ad minoria quadam effugienda civem Romanum se protestatus est. — Resp. nullatenus in illa lege haberi quod cives Romani non possent ad bestias damnari; sed tantum habent quod sarciri et venefici, si erant humiliiores, solerent ad bestias damnari, si vero altiores, solerent ad insulas deportari; ubi nulla sit distinctio inter Romanum et alium; deinde, etiam hoc supposito, potuit Paulus retinere suum privilegium, sicut illud retinuit Philippus ante flagellationem suam, et tantum postea manifestavit, Act. 16, v. 22 et 37. Denique et magistratus et presides non semper venerabantur ista privilegia, præserit respectu Christianorum, ut con-

stat ex Ac Is 8. Attali martyris Lugdunensis, qui, ut referit Eusebius, lib. 4, cap. 5, etiam erat civis Romanus, et tamen bestiis ojectus fuit.

Obj. 3^d: Idem Apostolus, in Epist. 2 ad Cor., cap. 11, ubi suas afflictiones et pericula longo ordine recenset, nullam prorsus mentionem facit de ista pugna cum bestiis; atqui tamen rem tam mirabilem hauquaque ibidem silentio obvolvisset, si verè contingisset; ergo Paulus non fuit bestiis objectus. — Resp.: Neg. min., et dico quod loco citato hanc bestiis objectione non recensetur, quia illam in hac Epistola sufficienter expressit; et quia fortè ita ab illo mortis evidenti periculo miraculose liberatus fuit, ut nihil malum passus fuerit, idem satis illi fuit in secunda Epistola, cap. 11, istam objectione exprimere, dicendo, v. 23, se fuisse in mortibus frequenter. Illam ergo potius expressit in primâ Epistola, quia in ea debebat probare resurrectionem mortuorum, et anima immortalitatem. Non poterat autem illam fortius probare argumento ad hominem, quoniam hoc: Si non datur resurrectio mortuorum, aut vita eterna, non esse tam stultus ut me pro ista fide permitterem obiecti bestiis, certissime devorandum, nisi Deus moriperet, etc. Si vero per bestias intelligerent homines bestialiter viventes, argumentum istud non tam fortiter concluderet.

Obj. 4^e, cum Baronio: S. Chrysost., hom. 40 in Epist. 1 ad Cor., et Tertull., lib. de Resurrectione carnis, cap. 48, docent praecitata Pauli verba debere accipi metaphoricè; ergo hi per bestias intelligent homines resistentes doctrinam evangelicam. — Resp.: Neg. ant.; nam S. Chrysost. videtur potius nobis lavare, siquidem dictiones illas: *Ad bestias pugnari*, nullo modo explicat; hoc autem signum est quod eam accipiat in sensu proprio, sicut jacent. Verba ipsius sunt: *Si secundum hominem ad bestias pugnari. Quid est secundum hominem? Quod ad homines attinet, pugnari cum bestiis. Quid enim si Deus me eripuit à periculis?* Ibi est totum quod desuper habet, ex quo nihil videtur posse erui pro sententiâ contraria.

Verum quidem est quod Tertull., loco praecitato, per bestias intelligit periculum mortis quibus Paulus in Asia expositus fuit; sed hoc non excludit sensum literalem proprium; quinimò videtur illum voluisse includere, quandoquidem illo utatur tanquam cruciatio corporali ad probandum resurrectionem corporum. Et lib. de Pudicitia, cap. 22, allegat hunc textum ad probandum Paulum esse martyrem.

Obj. 5^f: auctoritatem S. Hieron., qui in 1 ad Cor. 15 ita scribit: *Cum bestias enim commemorat qui Ephesi seditionem adversus eum moverant propter Diame idolum, cuius culturae prædicatione apostolicæ destruebat. Quod autem manifestè consuet bestias, cum quibus pugnavit Apostolus, adversarios homines debere intelligi, idem in alia Epistola (scilicet 2 ad Timoth. 4) memorat, dicens: Et libertatis sum de ore leonis; in quo ostendit se savitiam Neronis evasisse, quando prima vice Romanum vincetus deductus est.* Item S. Thomas, in 1 ad Cor.

CAP. XV. QUEST. IV. QUÆNAM LECTIO VERSUS 51 SIT PRÆFERENDA.

45, lect. 4, ait: « Scindendum quod legitur Act. 19, ubi dicitur quod cum Paulus apud Ephesum multos convertisset ad fidem, quidam concitaverunt contra eum populum, in tantum quod non esset ausus exire in theatrum, et quod multa pericula sit passus... Pugnari ad bestias, id est, ad homines bestiæ cliter viventes. » Ergo, iuxta S. Hieron. et D. Thomam, per bestias intelligunt: homines effici et intractabiles, nempe Demetrius Argentarius, ejusque socii. — Resp.: Neg. consequ., qui Commentaria quæ sub nomine S. Hieron. in Epist. 1 ad Cor. circumferuntur, non ejus, sed quod magis mirum est, inquit Bellarminus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, Pelagiū heresarchas sunt. Idque probatur ex eo quod auctor istorum Commentariorum in cap. 4 Epist. 1 ad Cor., habeat sententiam manifestè Pelagiannam. Ad auctoritatem verò D. Thomas respondere eum id non nisi dubitanter asserere; siquidem post illa verba: *Multa pericula sit passus, in textu sequitur: Ergo forte facit hic de hoc mentionem, quia è vicino passus hoc fuerat; ex quibus verbis, quæ in objectione missa sunt, clare patet quod S. Thomas hanc rem sub dubio relinquat.*

Ceterum quod per præfatum pugnam ad bestias non possit intelligi contentio cum Demetrio Argentario, manifestum videatur ex eo quod hæc Epistola ante tumultum à Demetrio Argentario excitatum scripta fuerit, siquidem scripta fuit Ephesi, ut supra monstratum est; atqui post tumultum à Demetrio Argentario excitatum Paulus statim Epheso discessit; ergo, etc. Prob. min. ex Act. 20, v. 1, ubi dicitur: *Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eis, valedixit, et profectus est ut iret in Macedoniam.*

Dices: Licet post istum tumultum Paulus non potuerit hanc Epistolam scribere ex integro, potuit tamen illam absolvere, et scribere adhuc duo ultima capita; quo posito, nihil obstat quoniam per pugnam ad bestias intelligunt contentio cum Demetrio. — Resp.: Neg. ant.; nam, ut ex verbis Act. patet, Paulus tantum exhortatus est discipulis, eisque via ledixit, et sic Epheso dissegit. Deinde, quamvis adhuc uno altero die tunc Ephesi mansisse supponeretur, tamen tunc certò non scriptis duo ultima capita hujus Epistole; ergo, etc. Proph. ant.: Quando Paulus duo ultima capita scripsit, intendebat adhuc manere Ephesi, et quidem usque ad Pentecosten, prout patet ex cap. 16, v. 18, ubi dicit: *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten;* atqui post tumultum à Demetrio excitatum non intendebat amplius manere Ephesi, sed inde discedere volebat, ut ex Act. 20, v. 1, omnino manifestum est; ergo nequidem duo ultima capita scripsit post tumultum Demetrii Argentarii.

QUESTIO IV.

An v. 51 præferenda sit lectio nostra Vulgate, non lectio Graeca.

Nota triplicem esse hujus versus lectionem: una est nostra Vulgate, et ita habet: *Omnes quidem re-*

surgemus, sed non omnes immutabimur; altera est quorundam Graecorum, qui sic legunt: *Omnes quidem dormiemus, id est, moriemur, tam boni quam mali, sed non omnes immutabimur:* hoc autem proximè ad lectionem nostræ Vulgatae accedit; si enim omnes resurgent, ex somno mortis resurgere debent, denique in quibusdam Graecis codicibus ita habetur: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur,* et ita legunt Theophylactus ac S. Chrysostomus, et interpretantur hoc modo: *Nos electi non omnes moriemur; non enim illi quos secundus Christi adventus viventes deprehendet, morientur, sed tamen immutabuntur quia, nullù intercedente morte, inducent doles corporis gloriæ.* Hoc notato,

Resp. et dico: Lectio nostra Vulgata præferenda est isti lectioni Graeci, que habet: *Omnes quidem non dormiemus, etc.*

Prob. 4^g, quia ita constanter habuerunt omnes editiones, exceptis quibusdam Graecis; ergo potius adherendum est nostræ Vulgatae quam istis Graecis, idque præserit proprieas quod nostra Vulgata standum velit concilium Tridentinum, sess. 4, decreto de canonib[us] Scripturis, salement in iis quæ ad fidem velores pertinent; jam autem punctum de resurrectione corporum pertinet ad fidem vel mores; ergo.

Prob. 2^h, quia ipsi codices Graeci quondam variarunt, ut fatetur S. Hieron., epistola 152, ubi post longam disputationem ita concludit: « Hoc autem scindendum quod magis convenient veritati ita legere: *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur.* Si enim omnes sunt immutandi, juxta alteram lectionem, quoniam postea dicitur, quasi præcipuum atque privatum, et propriæ apostolorum: *Etenim immutabimur?* » Ergo ex codicibus Graeci sciri non potest quoniam sit genuina iustus textus lectio; adquod debemus recurrere ad nostram Vulgatam, quandoquidem hæc à concilio Tridentino declarata sit authenticæ, qualiter non sunt declarati isti codices Graeci, et ipsem quoque S. Hieron. asserat magis convenire veritati ut adhaeramus isti lectioni Graeci, quæ quod sensum eadem est cum nostrâ Vulgata.

Prob. 3ⁱ: Ex istâ lectione Graeci: *Omnes quidem non dormiemus, etc.*, sequitur quod non omnes homines sint morituri; atqui hoc est contra sensum totius Ecclesiæ, et contra Apostolum hic, v. 22, dicentem: *Sicut in Adam omnes morientur, ita et in Christo omnes viviscerentur;* id est, omnes electi resurgent, seu resuscitabuntur ad vitam spirituali sive aeternam, ut supra, quest. 4 dictum est. Jam vero, nullus vivificabitur, seu resurgent, nisi prius moriantur, juxta quod dicit Apostolus v. 36: *Quod seminas, non viviscatur, nisi prius moriat.* Item præfata lectio est contra illud quod dicit ad Hebr., 9, v. 27: *Statutum est hominibus semel moriri;* et Psal 88: *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* Ergo admittitur quod illi electi quos secundus Christi adventus viventes deprehendet, non sint morituri, sed nullè intercedente morte sint immutandi, seu inducendi dectibus corporis gloriæ.

Nec dici potest cum OEcumenio istud: *Non dormiemus, hoc modo debere accipi quod isti electi qui vivent circa tempus iudicii, non sint dormitari diuturna dormitione, quia tantum brevi tempore mortui erunt. Nam dormire in Scripturā non tantum de longa, sed etiam de brevi morte intelligitur. Unde de Lazarō mortuo, sed statim suscitando, dicit Christus, Joan. 11, v. 11: Lazarus amicus noster dormit.*

Prob. 4^o ex S. P. Aug., qui Epist. 205 edit. Paris., exponens praeceatum Apostoli textum, etiam legit ut habet nostra Vulgata. Ita enim scribit, num. 14: *Omnis quidem resurgens, vel sicut Graci codices habent: Omnes quidem dormiemus, non tamen omnes immutabimur. Hanc immutationem utrum in determinis an in melius intelligi voluerit, inferiora demonstrant; nempe vers. 52, ubi dicitur: Et nos immutabimur. Ex quibus verbis infert S. doctor: Ergo istam commutationem, in melius sine dubio aportet intelligi; nempe quod soli justi sicut immutanti, in quantum scilicet habituri sunt quatuor doles, que redent corpora eorum gloriae; haec autem doles sunt impossibilitas, subtilitas, agilitas et claritas. Unde concludit S. Pater: Proinde illi qui ad iudicium (id est, ad ponam semperiam) surrecti sunt, non computabuntur in illam incorruptionem quia nec doloris corruptionem pali potest; illa namque fiduciam est atque sanctorum; isti vero perpetua corruptione crucibuntur, quia ignis eorum non extinguetur.*

Prob. 5^o ex S. Cyrillo Alexandri, qui etiam ex Graeco videtur legisse ut habeat nostra Vulgata; ita enim in hunc Pauli locum scribit: *Resurgent autem induitū omnium corpora, immortalitatis induitū gratia; et non omnes immutabuntur, sed honori per manebunt impi, soli vero immutabuntur justi, enim irum ad immortalitatis communum immutati, ei divina glorie indumento diti.*

Obij. 4^o cum Estio: *Apostolus in hoc toto capite de sola honorum resurrectione agit; ergo non potest legi: Omnes quidem resurgens, quia tunc etiam ageret de resurrectione malorum. — Resp. cum praecepit quidem agere de resurrectione honorum, intercessione tamen aliqua ad communem omnium resurrectionem pertinente, ut est illud: Omnes resurgens, et istud: Mortui, pimirū omnes, resurgent incorrupti, et nempe incorruptione quae denotat immortalitatem, non est ea quae impossibilitas et gloriam importat. Unde S. Aug. ad hac ultima verba reflecens, Epist. supra cit., num. 15, rursus ita scribit: Omnes incorrupti resurgent, sed ex his etiam justi immutabuntur in illam incorruptionem, cui omnino nulla possit nocere corruptio; ac per hoc qui in eam non computabuntur, incorrupti quidem resurgent integrante membrorum, sed tamen corrumperi dolore posse.*

Obij. 2^o: *Satis incongruum aique contra morem apostolici sermonis esse videtur ut de reprobis agens*

utatur verbo prima personæ, quale est istud: Non omnes immutabimur; quare, si praecito versu 51 etiam ageret de resurrectione reproborum, indubie dixisset: Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur. — Resp.: Neg. assumpt.; nam dum de bonis et malis simul disserere solet, in prima personâ non raro loquitur, ut Rom. 14, v. 40: Omnes statim ante tribunal Christi; et 2 ad Cor. 5, v. 10: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; unde, si Estius pro sua opinione tantum praesidium querat ex locutione in prima personâ, facile ex locutione in terciâ personâ probari poterit quod illud: Mortui resurgent incorrupti, non tantum ad electos, sed etiam ad reprobos extendi debet.

Obij. 5^o: *Juxta nostram Vulgam, non videtur corroborare sermo: *Non omnes immutabimur. In momento, in actu oculi, etc.* Oportet enim hyperbaton facere, ut illud: *Omnis quidem resurgens, referratur ad hanc partem locutionis: In momento, etc.* sitque media parenthesis: *Sed non omnes immutabimur;* atque, secundum lectionem Graecam, sermo opinione colaret: *Omnis immutabimur. In momento, etc.*; ergo lectio Graeca videtur preferenda lectioni nostra Vulgata. — Resp. nullum inconveniens esse in eo quod hic fiat hyperbaton, sicutum hoc in Scriptura contingit, et inter alia liquet ex Joan. 19, v. 5, ubi verba illa: *Exiit ergo Jesus, etc.*, sum parenthesis inclusa. Imò simile hyperbaton, seu parenthesis hic fieri debet, eruntur ex ratione quae illis verbis: *In momento, in actu oculi, etc.*, ad illud: *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti; et non immutabimur.**

Obij. 4^o: *Lectio Graeca magis consonare videtur eis quae Apostolus scribit 1 ad Thessalon. 4, v. 14, ubi in persona justorum qui superstites erunt tempore extremi iudicii ita loquerit: *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini non prævenimus eos, qui dormierunt; et etsi Apostolus hoc loco aliquos recesset qui non dormient, seu morientur, et tamen immutabuntur, ut ibidem patet ex verso 16 ubi dicitur: Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimus, simul rapiemus cum illis in nobis obiviam Christo in aera, etc.* — Resp.: Neg. assumpt.; quia et illi etiam revera dormient, sem morientur, vel in ipso raptu cum Christo in aera, ut insinuat S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 20; vel parum ante raptum per ignem conflagrationis, ut docet S. Thomas, Suppl. quest. 74. Dicuntur tamen viventes, quia modicissimo tempore erunt mortui, quod quasi pro nihilo reputatur; aut etiam dicuntur viventes, quia vivent circa tempus extremi iudicii.*

Objici quoque hic rursus posset auctoritas S. Hieron., qui in hoc Pauli caput dicit lectionem illam Graecam: *Omnis quidem non dormiens, etc., magis quadrare ad sensum Apostoli. Sed iam supra, quest. precepit, diximus ista commentatoria in Epist. 1 ad Cor., qua sub nomine S. Hieron. circumferuntur, verè non esse ipsius.*

IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS Dilucidatio.

QUESTIO PRIMA.

Quâ de causa Apostolus hanc secundam Epistolam scripsit.

Sanctus Chrysostomus in cap. 4 tres afferat rationes propter quas Apostolus hanc Epistolam scripsit: prima est, quia cùm in priori Epistolâ, cap. 16, promisisset se ad Corinthios venturum, dñs transisset Macedoniam, quod tamen tunc facere non potuerat, inquit quod jam adiace facere non poterat, cùd Spilius sanctus in aliis negotiis magis necessarius ipsum retineret, debuit scribere hanc secundam Epistolam, ut significaret se non proprii nati, sed ex ordinatione adventum suum distulisse. Hic confidentia, inquit cap. 1, v. 15, *volui prius venire ad vos... v. 47: Cum ergo hoc voluissent, nunquid levitate usus sum? Aut qua cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me est et non? etc.* Secunda ratio est ut illos consolarent, quos salutari tristitia et dolore afficerat. Cùm enim audiret Corinthios, et ipsum etiam incestuosum ad meliora frugum reversos, ponentiam egisse, ipsis non solum lenioribus verbis abblandit, sed etiam ipsiusmel incestuosum ab alteriori penitentiâ absolvit. Suffici illi, inquit cap. 2, v. 6, *qui ejusmodi est, oburgatio hec, que sit plauris; ita ut contra magis donet et consolentur, ne fortè abundantior tristitia absorbeat, qui ejusmodi est.* Tertia ratio est: Cùm aliqui pseudopostoli, Pauli amuli, ipsius gloriam apud Corinthios deprimerent, dicentque ejus Epistolâ graves, presentiam vero corporis infirmam, ipsiusque, ut Chrysostomus, ut vanum et arrogante, nulliusque pretii hominem, in odium atque invidiam vocarent, coactus est Apostolus suum ministerium et apostolatum commendare, scribens, cap. 2, v. 17: *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut et ex Deo, coram D-o, in Christo loquimur. Deinde enarrat quanta passus sit pro disseminando Evangelio; quot pericula subierit, quot regiones peragraverit, etc.* Denique, postquam Corinthi gratulatus fuisse, eisque gratias egisset, quod contulissent elemosynas pro sublevandis pauperibus fidelibus in Iudeâ, et quod benigne suscepserant Titum et alios discipulos, quos ad ipsos delegaverat, tandem acriter invehi in pseudopostolos, ejus ministerio detrahentes, et in ipsorum sectatores eos adhuc non solido respicant, ne, dñs ad ipsos veniet, eos puniat. Prædicti, inquit cap. 13, v. 2, et prædicto, ut presens et nunc absens, *is qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam;* adeoque tota ferè hanc Epistolâ est encouium et apologia apostolatus Pauli.

Probatur, quia, eti ista afflictio non admotum diuinam fuerit, gravissima tamen fuit, et periculi plena; ita ut ei verè competent omnia quia hic à Paulo dicuntur, sicutem, ut ex Act. 19 satr. clare patet, Apostolus tunc in tanto periculo mortis fuit, ut verè potuerit hic, v. 19, dicere: *Sed ipsi in nobis metit ipsi reponsum mortis habuimus.* Id est, pressura tanta fuit, ut non aliud milia logi videbretur, quam mortem instantem: vel, ut ego ipse mihi in animo non aliud loquerer aut cogitare, quam mihi moriendum esse.

Porrò istam afflictionem hic commemorat, non ut adventus sui tarditatem excusat (nam proper istum tumulum seu afflictionem statim discedere coactus

petes ex quo Paulus didicerit statum Corinthiorum, et undem haec Epistola scripta sit? — Resp.: Ex Tito, cum enim Paulus Epheso fuisse expulsus per tumultum Demetrii Argentarii, Act. 20, v. 1, instiuebat suum iter, ut per Macedoniam iret Corinthum, sicut ipsis promiserat 1 ad Cor. 16, v. 5. Venit autem Troadem, in urbem Phrygiae Minoris, ubi putabat inventio Titum, 2 ad Cor. 2, v. 12, ut ab ipso intelligenter quid prima Epistola esset operata; sed ibi non inventio Tito, traxit in Macedoniam, tuncque Corintho ad eum venit Titus, ut dictum cap. 7, v. 5 et 6. Igittur à Tito electus de statu Corinthiorum, scripsit hanc Epistolam, et per Titum misit.

QUESTIO II.

Quanam fuerit Aiana persecutio, de quâ agitur cap. 1, v. 8.

Loco citato, dicit Apostolus: *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostrâ, que facta est in Aia, quoniam supra modum gravata sumus, supra virtutem, ita ut taceret nos etiam vivere.* Cajetanus putat hanc esse aliquam afflictionem, de qua in nullo alio Scriptura loco fit mentio. Theophylactus et OEcumenius existimant esse eam que refertur Epist. 1, cap. 16, v. 9, ubi Paulus dicit: *Ostium mithi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi.* Sed haec opinio non est satis vero similis; nam Apostolus refert hanc afflictionem tanquam recentem, et Corinthios hucusque incognitam, sicutdem id clare insinuat illa verba: *Nolumus vos ignorare; unde nec etiam est ista afflictio de qua Epist. 1, cap. 15, dicit: Si ad bestias pugnari Ephesi, sive eadem fuerint illæ bestie cum illis adversariis, sive non, inquit Estius. Itaque*

Resp. et dico: Probabilis videtur quid afflictio seu persecutio de qua hic Paulus facit mentionem, tunc tumulus quem adversus eum excitavit Demetrius Argentarius, Act. 19, v. 28. Ha Theodoreus, D. Thomas et alii communiter.

Probatur, quia, eti ista afflictio non admotum diuinam fuerit, gravissima tamen fuit, et periculi plena; ita ut ei verè competent omnia quia hic à Paulo dicuntur, sicutem, ut ex Act. 19 satr. clare patet, Apostolus tunc in tanto periculo mortis fuit, ut verè potuerit hic, v. 19, dicere: *Sed ipsi in nobis metit ipsi reponsum mortis habuimus.* Id est, pressura tanta fuit, ut non aliud milia logi videbretur, quam mortem instantem: vel, ut ego ipse mihi in animo non aliud loquerer aut cogitare, quam mihi moriendum esse.

Porrò istam afflictionem hic commemorat, non ut adventus sui tarditatem excusat (nam proper istum tumulum seu afflictionem statim discedere coactus